DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS 35
De
SUDORIBUS

Quam
volente DEO
Consensu & Auctoritate
Illustris ac gratiosissimæ Facultatis Medicæ
in florentissima Academia SALANA
PRÆSIDE

JOH. HADRIANO SLE-
VOGTIO
Med. Doct. Anat. Chir. & Botan. Prof. Publ.
Med. Duc. Sax. Provinc.

Patrono, Præceptore ac Promotore suo
maxime devenerando,

PRO LICENTIA
Summos in arte Medica Honores, Insignia & Privilegia
DOCTORALIA
more majorum solenniter obtinendi,
publicæ ventilationi subjicit

JOH. GEORG. PILLING,
Altenb. Misn.

Ad d. 28. Maj. Anni M DC XCVII.
horis ante & pomerid. in Auditorio majori.

JENÆ
Literis WERTHERIANIS.

VIRO
Magnifico, Praenobilissimo, Excellentissimo, Consultissimo
DN. JOH. GEORGIO DOEHLERO
Hæreditario in Rhœda & Windischleuba
JCto Consummatissimo, Consiliario Saxonico & Illustris Regiminis Altenburgensis Assessori gravissimo
Patrono suo maximo
nec non
VIRIS
Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis
DN. JOH. EMANUELI RUDOLPHO
JCto celeberrimo, Præfecturæ Leuchtenburgens. & Orlamund. Præposito longe meritissimo
DN. CHRISTIANO DAVIDI SCHMIDIO
Consuli & Syndico apud Calenses spectatissimo & redituum Ducalium Collectori
Patronis, Fautoribus & Adfinibus suis maximopere colendis, Compatri æstumatissimo
Hanc Inauguralem Dissertationem
obsequiose
offert, dedicat & consecrat
AUTOR.



Prooemium.

LAudabant veteres tres in corpore nostro coctiones totidemque earundem excrementa, ita ut primæ, quæ fit in ventriculo, Scybala; secundæ, cujus organon vasa credebant, urinam; tertiæ, quam in partium poris fieri sibi persuadebant, insensilem transpirationem & sudorem assignarent. Ponam vacillare ultimarum coctionum certitudinem, & dictam urinæ, insensilisque transpirationis ac sudoris diversitatem; nihilominus de singulis experientia quotidiana nos reddit certos, maximo cum levamine singula præsidente natura excerni, singula eâdem succumbente non sine magno sanitatis dispendio retineri, vel alio modo peccare. Alvi excrementa & urina nunc sub meam non venient censuram. Mihi sufficiet Sudoris inquisitionem diligentiorem instituere, quippe vix morbus occurret, in quo non Sudorem vel Symptomaticum vel Criticum offendas, vel à Medico summo studio urgeri videas. Primùm autem Naturam ejus examinabo, postea Symptomaticorum sudorum differentiam & causas tradam adnectendo ex Prognosi, quæ occurrunt notatu digna, tandemque Curationem eâ,

 quâ

quâ poteſt fieri brevitate ſubjungam. Faxit Summum Numen, ut omnes meæ meditationes in ſui gloriam & ad Proximi commodum inſtituta felici ſucceſſu gaudeant.

§. I. *Sudor* a Græcis ἱδὼς ab ἱδίω Sudo, Laboro, Germanis **der Schweiß** dicitur: Sumitur verò Sudoris nomen communi uſu loquendi vel *proprie* vel *improprie*. Improprie 1. ſi ex arboribus vulneratis effluit vel humor, ut fit in betula & vite, primo vere, poſt abſciſſa inutilia ramenta, ſuccum aqueum dimittente; vel glutinoſa ſucci pars in forma granulorum ſolida concreſcit, ut fit in Lentiſco, cujus ſoboles Maſtix, nec non aliis, quæ gummata varia nobis in uſum mechanicum & medicum concedunt: 2. Si frigidis magis politis & glabris ſubjectis humiditas in aëre natans ſeſe guttularum forma affigat: 3. Si poſt mortem quandoque ichor tenuis cutis laxatam ſubſtantiam penetret, *Sudorem* dicunt, qui tamen cum absque calore & ſpiritibus, ſola ſudoris cauſa efficiente fiat, nequaquam verus ſudor dicendus. Propriè autem ſi ſumatur, quid ſit, nunc declarabo.

§. II. Examinata Nominis Etymologiâ & Homonymiâ ſequentem Sudoris definitionem dabo: Quod ſit *excrementum ſeroſum, mediante circulatione univerſali ad corporis extrema delatum, aqueo ſalſum, inodorum, non coloratum, a ſpiritibus & calore totius per glandulas ſecretum, per poros apertos ejectum, & formâ guttularum hinc inde conſpicuum.* Ex his ſponte patebit, Sudorem primo intuitu non niſi formâ differre a *tranſpiratione inſenſili*, ſub qua utraque excretio ſe prodit, iſta nempe vaporibus, in auram exhalantibus, hæc guttulis cuti accretis.

tis. An autem & in aliis discrimen habeant, pluribus inferius ostendam.

§. III. Generis loco posui *Excrementum*. Cum enim humanum corpus ita sit comparatum, ut singulis diebus novo restaurari alimento debeat, ex quo & solidæ humidæque partes suum augmentum conservationemque nanciscantur: Ne autem detur corpori extensio in immensum, natura non solum sibi prospexit, per intestina exturbando scybala, sed & humores, qui alimentares post toties repetitas circulationes esse desierunt, foras eliminando. Esse autem ad nutrimentum Sudoris materiam ineptam ex sapore ejus, qui dulcedinem blandam exuit, clarum fit, quamvis non negandum, sæpe etiam alimentares, utiles, spirituosas quoque particulas una cum excrementitiis abripi.

§. IV. Materiale Sudoris dixi *Serum*, mediante circulatione ad corporis ambitum detrusum. Seri esse progeniem, patet ex colore, & consistentia aqueo glutinosa, aliisque phænomenis, quæ circa sudorem occurrunt. Videmus enim, qui multum sudant, multum sitire, sitim vero esse defectum seri, quis negat? à nimiis in juventute sudoribus vel spontaneis, vel artificialibus, corporis augmentum impediri, ut ex observatione Magn. D. Wedelii, Patroni, Præceptoris, Hospitis mei summopere devenerandi, *in Phys. Med. S. III. C. 27. p. 189.* patet; robustissimosque tandem ab iisdem attenuari; utrumque à Sero nutritio absumto. Ad ambitum autem corporis hoc ipsum devehitur cum sanguine per arterias, ad cutem desinentes, ubi deinde serum deponitur, parsque per venas redit, pars in sudorem abit.

 §. V. *Sal-*

§. V. *Salsedinem* insuper secum vehere aqueas ejus guttulas, docet sapor, si roridum hoc humidum fortè in os destillet; docet quoque pruritus, dolor, intertrigo in iis partibus oborta, in quibus sudor vel non transpirare potuit, vel non detersus est. Imo Tachenius *in Hipp. Chim. c. 12.* scribit, se ex linteis, sudore madidis, sal, simile isti, quòd ex urina colligitur, non æque tamen fœtens eduxisse. Ex quo illud assertum magnum robur accipit, urinæ & sudoris, adde etiam lymphæ intestinalis eandem esse materiam, quod & sequentibus phænomenis confirmatur: 1. eos, qui multum sudant, parum mingere, & qui multum mingunt, parum sudare, ut accidit hyeme, ubi plus mingimus; æstate, ubi plus sudamus: 2. Si alvus laxior purgante redditur, sudoris & urinæ copiam imminui: 3. quosdam loco urinæ sudorem emisisse, vel sibi relictum, vel urinosum. Sic retulit amicus, se vidisse virum, per 8. dies multum sudantem, nihil vero urinæ excernentem, donec tandem Medici auxilio cutis pori constringerentur, & humor ad pristinas urinarias redierit vias. Salmuth. *cent. 2. obs. 82.*, in calculo laborante cum suppressione urinæ tanta, ut ad crepaturam corpus intumuerit, subsecutum esse sudorem plane urinosum, ventre subsidente, calculo promoto, observavit. Et ex Miscell. Curiosis referente Doct. Joh. Hæsbart, *Dec. II. Ann. X. obs. 73.* habemus exemplum viri, qui per aliquot annos nihil lotii emisit, noctu vero ab axillis ejus ad inguina usque defluxit humidum urinosum, quod spongia vel alio modo abstergere coactus fuit; nisi innatere fœtido huic liquori voluerit. Elegantissimam autem consignavit historiam Mortovvn de quodam Phthisico, qui, cum sudoribus consumeretur, his, medicamentorum

ope

ope ſublatis, diabete defatigabatur, hac intercepta, diarrhæa colliquativa ſummum minabatur periculum. Quod ſolum ſufficeret ad comunem horum excrementorum fontem, *ſerum* aſſerendum.

§. VI. Dubium forte movebit quibusdam, me, urinam odore fœtidam, & colore ſuo gaudentem, ſudorem autem *neque olentem nec coloratum* pronunciaſſe; Quod vero non fœteat ordinarie, ratio eſt, quia parum ſulphuris admixti & ſalis volatilis habet, nec mora in poris tanta, donec putredo incipiens ſal volatile paucum, ut in urina fit, explicare poſſit. Sub axillis enim hircum quod oleat ſudor, fit ex loci conditione, qui non facile perſpirabilis & magis concluſus eſt: Ibidem enim particulæ cumulantur & calore expanditur ſulphur contentum. Puberibus itidem quod magis accidat, evenit, quia circa hanc ætatem omnia immutantur, & quaſi novo fermento maſſa noſtra ſanguinea alteratur, pori magis, quam antea laxantur, ſicq; ab hac fermentatione alterata ſpeciali modo lympha prodit. Equidem aſſumta non raro ſudori & odorem & colorem varium conciliaſſe, teſtabuntur ſequentes, quas allegabimus, variorum Autorum obſervationes. *A ruta* ſudorum fœtidum jam olim Ariſtoteles & Theophraſtus *in libro de ſudoribus*, alii ab *Ambra*, *Moſcho* aſſumtis ſuaveolentem notarunt. *Cereviſiam* odore & colore referentem in nobili, genio admodum indulgente, obſervavit Salmuth, huicque conſimilem in puella lactata à matre, quæ paulo ante largum cereviſiæ hauſtum aſſumſerat, Paulini *in appendice ad annum VI. Dec. 2. M. N. C.* Eidem contigit animadvertere *Urinoſum*, ab urina per errorem pro ſiti ſedanda copioſe hauſta, *anni 6. app. Dec. II. obſ. 15. Mel-*

leum

leum vero *Dec. II. anni 5. obs. 15.* post esum libræ unius & dimidiæ mellis in proprio patre, qualem & habet Rhodius, *cent. I. obs. 58. Vini rubri* consignarunt Th. Barthol. *in cent. 4. Hist. 63.* & Sachsius *in Ampelogr. curios. L. II. Sect. 6. membr. 7. c. 8. Art. 1. p. 395. Acidularum* plane Sulphur Vitriolicum redolentem ipse in quodam, qui Bibranis utebatur aquis, deprehendi. *A porro sectili fœtidum & colore viridi* in Canonico Diætæ negligentioris vidit Borell. *cent. 2. observ. 56. Croceum* post assumtum Rhab. optimi drachmam unam, qui febrim sustulit Menzel. *ann. VI. & VII. Dec. 1. obs. 78.* Alium Hildanus *cent. 6. obs. 77. Violaceum* ab usu sirupi violarum in æsthmatico, Paulini *App. ann. V. Dec. 2. obs. 7. Lacteum* id. *observ. 18.* In Canonico post curam lactis in podagra nodosa cum evphoria; In puerpera per scapulas manantem, dum fol. menth. crisp. & flor. Samb. mammis impositis discutere lac vellet; in alia Cimbrica singulis noctibus apparentem, nisi emulgeret mammas, antequam lectum peteret. *Oleosum* Paulini, *App. ad ann. V. Dec. II. obs. 112.* in monacho, qui coactus oleo intinctum panem comederat. In his autem omnibus odorem & colorem adscititium peregrinum, vel fragrantiæ summæ, vel copiæ nimiæ assumtorum, quam debilis naturæ concoquere non potuit, sed dimisit, ut in corpus recepit, adscribendum fuisse, facile quivis concedet.

§. VII. Causa efficiens principalis est *Archeus & spiritus*, qui motui sanguinis cum locali, tam intestino præest. Cujus motu & calore si sui juris est, continua serie humidum sereum ad glandulas defertur, & rarefactio adjuvatur, ut adeo noviter accedens pristinum quasi propellat,

lat, & undulans partium calor expellendum attenuet, quo facilius per cutis ſpiracula exhalet, & inſenſibilem tranſpirationem conſtituat. Si verò cauſæ externæ accedant, fit ſudor, quales ſunt: 1. aër ab igne vel ſolis calore calefactus; qui adhuc activior, ſi humido imprægnatus accedit, ut in balneo Laconico. 2. Lectorum & veſtium apparatus major; 3. Motus curſu, ſaltatione vel alio modo factus; 4. Cibi potusque actu vel potentia calidiores. 5. Motus animi v. g. ira, gaudium, nauſea ob abominabilem rem viſam, auditam vel guſtatam concepta, curæ, meditationesque aſſiduæ, ut taceamus medicamenta hydrotica. Hæc autem omnia ſudorem faciunt, ſpiritus concitando, motum ſanguinis velociorem, vehementioremque impulſam reddendo, cum experientia & Sylvio teſte, in omni ſudore pulſus robuſtior & frequentior deprehendatur; niſi extremi labores inſtent, ubi languidus minorque, ſicuti in quibusdam ſyncopticis & timore perculſis: ubi aut à conſtrictione tonica cutis & partium ſubjacentium humoris guttæ exprimuntur; aut tanta eſt ſpirituum fatiſcentia, ut nec humorum vitalium miſtionem proportionatam conſervare, nec eosdem intra limites datos, poris de tono ſuo dejectis, cohibere queant.

§. VIII. Si itaque maſſa ſanguinea in vaſis turgeat, tunc major lymphæ copia advehitur, velocior a glandulis colatio peragitur, & pori, ob calorem adauctum, laxius hiantes, facilius roridum transmittunt humorem. Nec opus habemus, ut in motibus animi, v. g. anxietate, cum Sylvio, *App. Pr. Med. Tr. de peſte* ad æſtum circa præcordia oriundum comitemque ſudorem explicandum, obſcuram bilis & ſucci pancreatici circa duodenum concurrentis ef-

fervescentiam, indeque exurgentes vapores acres laudemus.

§. IX. Causa minus principalis, instrumentum nempe organumque sunt *glandulæ, tubuli & pori:* Nulla fit in corpore nostro, nisi per glandularum colatoria apta secretio, ideo cuti, per quam hoc necessarium extrudere voluit excrementum natura provida, copiosissimas glandulas conglomeratas coniformes substravit, in quas vasa arteriosa sanguinem allatum deponunt, venæ superfluum revehunt, ductus exilissimi, tubuli sudatorii dicti à quibusdam, serum secretum recipiunt, & foras deponunt: glandulas primum invenit Steno, in tractatu suo de musculis ac glandulis, nec non Borrichius, ut *ex Th. Bartholin. cent. 3. ep. 65. & 97. & Act. Hafn. Vol. I. obs. 108.* apparet: Tam exiles autem sunt, ut in sano corpore, armato oculo nisi quis eas inspiciat, vix oculis nudis usurpari queant, in tabidis tamen & hydropicis easdem miliares magis in conspectum venire, tradant Auctores: Tubulos vero sudatorios Malpighius & Pechlinus in *Tr. de Purgantibus* observarunt. Non negandum tamen, etiam poros, præter tubulos hosce secretorios, laterales & hisce glandulis interpositos dari, ex quibus caloris ope continuo aliquid humidi evaporat.

§. X. Forma, quæ differentiam sudoris & insensilis transpirationis constituit, *est humoris in guttulas collectio,* quæ & laxitati pororum, copiæ seri magis attenuati, ut citius transcolari queat, & potentiori caloris impulsui tribuenda. Variat tamen hoc ipsum, ut etiamsi maximus calor corpus nostrum exæstuare faciat, tamen guttulæ nullæ appareant. Sic in sole, ut radiis suis nudas ferire partes queat, si ambulemus, ad ignem propius adstantes munia

nostra

noſtra ſi obeamus, nec mediis in laboribus adeo ſudamus, ut accidit laboribus finitis, & poſtquam igni radiisque ſolis nos ſubtraxerimus, cujus cauſam in nimio calore, qui vapores ſtatim diſſipat, nec moram ipſis, ut coëant, permittit, omnino quærimus.

§. XI. Denique in toto prorumpit corpore, frequentior tamen in hac vel illa parte, prout quælibet plures vel pauciores obtinuit glandulas, porosque magis vel minus patulos, & vaſa, quæ advehunt materiam, majora & copioſiora recipiat, vel crebriorem motum in exercendis variis actionibus corporis ſubeat. Sic in capite glandulæ & vaſa ſatis capacia reperiuntur, in volis manuum itidem magnus cuti ſubſtratus glandularum apparatus, inguina & locus ſub axillis tum glandulis, tum vaſis majoribus; tum motui ſudoris largum debent proventum. Pectus autem plus quam abdomen, anterior pars minus quam poſterior, quod madeat ſudore, itidem a vaſorum copia, multum calidum humidumque advehentium deducendum. Rarum vero & notatu dignum eſt, ſi quis per totam vitam ſingulari ex partis diſpoſitione in certis ſaltem partibus ſudet, quale exemplum refert, Ol. Borrichius *Act. Hafn. Vol. V. obſ. 76.* virginis nobilis, volarum manuum perpetuum ſudorem patientem. Eorund. *Act. Vol. IV. obſ. 82.* a Th. Bartholino recenſetur peculiare in ſudorem arbitriũ Oligeri Pauli, qui, quoties & quamdiu vellet, manum ſiccam vel ſudore madentem exhibere poterat. Videatur quoque P. Francus, *Miſc. cur. Ann. IV. & V. Dec. I. obſ. 100.* de viro Argentoratenſi, qui per totam vitam in dextro ſaltim ſudavit latere, ſexagenarius tandem hydrope mortuus. Elegans conſimile recenſet Jac. Schmid, eadem *Dec. Ann. II. obſ. 126.* de fœmina,

quæ nunquam in dextro ſudavit latere, niſi eo, quo gravida fuit, tempore: Cujus cauſam an in vaſa, an in glandulas, an ſpiritus, an poros, an denique ſpecialem & extraordinariam horum omnium diſpoſitionem, quæ ingravidationis tempore fermento ſeminali immutata fuere, conjiciam, hæreo.

§. XII. Natura ſudoris nunc, ut credo, perſpecta, ad differentias ejusdem præternaturales tranſibo, easdem primum ſaltim recenſendo, deinde in quibus morbis occurrant, & quas cauſas agnoſcant, indagando, tandemque quid mali vel boni ominentur, inquirendo.

§. XIII. Differentiarum, quas ſudor agnoſcit, nunc brevem ideam ob oculos ponam: 1. Ratione *quantitatis* immodicus, paucus, nullus eſt. 2. *Qualitatis* peregrinæ, viſui flavus, viridis, cœruleus, niger, miniatus, rubicundus: *Odori* urinoſus, fœtidiſſimus: *Guſtui* amarus, acidus, aluminoſus, auſterus: *Tactui* frigidus vel calidus: *Auditui* ſonorus offertur. 3. *Subſtantiæ* ratione tenuis, craſſus, tartareus, arenoſus, pinguis, verminoſus ſæpe deprehenditur. 4. Ratione *loci* univerſalis, particularis. 5. Ratione *temporis* in morbi acceſſione, ſtatu, augmento, decremento, cum vel ſine ſignis coctionis, nocturnus vel diurnus, periodicus tandem obſervatur.

§. XIV. Horum vero multi vel cauſa morborum ſunt, ſecundum materiam ſc. *ex qua* ſpectati; vel ſymptoma: idque quandoque concomitans morbum, quandoque hoc ceſſante demum ſe prodens: Vel criticum ſequuntur motum, vel medio modo ſe habent, ut neque lædant, neque læſionem conſequantur, nec levamen de inſtanti morbo promittant, ſed pro medicamentorum ope & naturæ robore accedente ſalutares evadere poſſint.

§. XV.

§. XV. Quantitas vel excedere vel deficere apta est. Si excedat, constituit immodicum, cujus species præeunte Magnif. D. Wedel. *in Amœn. M. M. l. 2. s. 2. c. 6. p. 343.* sunt resolutorius, oppressorius & medius, diffusivus, rerum non naturalium vel medicamentorum usum incautum insequens.

§. XVI. Resolutorius frequenter visendus in syncope, lipothymia, hectica, scorbuto, phthisi, in febribus continuis simplicibus atque malignis & post intermittentes. Continuas simplices cum hoc symptomate qui notarunt, appellarunt *Sudoriferas*, easdemque Zac. Lusitanus *de Prax. Med. admir. l. 3. obs. 18.* Forestus *l. 2. de feb. interm. obs. 42. & l. 7. obs. 27.* Riverius, *obs. 28. p. 697.* describunt, statim primo vel secundo die supervenisse sudorem largissimum & continuasse ad multos dies, imo juxta Forestum, ad septimanas, atque membra emaciando mortem accelerasse; nisi aptis, quod felici cum successu evacuantibus Zac. *l. c.* tentavit, aliorsum ruentes undæ diverterentur.

§. XVII. Malignus audit *Sudor Anglicus.* Hic A. 1485. mense Augusti prima vice Angliam infestabat, circa octobris finem sævire desinebat, & post hæc diuturnas dabat inducias, donec A. 1506. 1517. 1528. 1551. vis ejus recrudesceret; & quamvis nunquam ultra 6. menses grassaretur, ingentem tamen incolarum trucidabat numerum: referente id Willisio Anglo *in Ph. Rat. S. V. c. 3.* Ex Anglia autem in Daniam, Norvvegiam, Poloniam, Germaniam, venisse & hujus magnam partem perambulasse, tandemq; in Belgium & Hollandiam demigrasse, autor est Forestus *l. 6.* §. *7.* & subnectit, *obs. 8.* historiam a Medico Amstelodamensi de hoc ipso Amstelodamum devastante.

§. XVIII. Genius mali erat, ut malignitatem nullo bubone, carbunculo, vel aliis exanthematibus exereret, ſed languor virium, ſumma reſolutio, ſudor copioſiſſimus, inquietudo, cardiogmus, capitis dolor, pulſus celer, crebra palpitatio cordis ægros per 24. hor. ſpatium excruciaret, quod qui ſuperaverant tempus, in vado eſſe credebantur. Foreſtus *l. VI. obſ. 7.* addit ſudores fuiſſe teterrimos, hosque vel incaute luculento igne vel aliis modis nimium promotos, vel ab aura frigida admiſſa repreſſos mortem acceleraſſe, & *obſ. 8.* Anginam, brevi in lethalem peripneumoniam terminatam, haud raro junctam fuiſſe.

§. XIX. Febres intermittentes diuturnas, poſtquam deſierunt, non raro largos ſudores, novum hydræ lerneæ caput præſcindendum, offerre, docet Willis, *l. c.* qui in adoleſcente, a febri quartana decimeſtri convaleſcente, adeo profuſos vidit, ut de die aliquoties lodices mutare neceſſe habuerit, ſubſequo totius corporis marcore. Addam interdum quosdam continuam hydroſin experiri ſine aliquo morbo; quam Willis *l. c.* in illuſtri domina, cum ſiti continua affligente vidit: Et Zacutus Luſ. *l. c. c. 73.* memorat, quendam toto die, etiamſi ſine omni motu eſſet, verno tempore ſudaſſe, & per decennium, nonnunquam quinque in anno menſes hanc ferendo moleſtiam, optime vixiſſe: tandem tædii ejus pertæſum, Medicorum conſilio V. S. purgantibus, fonticulo cruri dextro inuſto fruſtra in ſubſidium vocatis, proximo vere deſperabundum ſeſe immerſiſſe balneo, ibi autem adeo obriguiſſe, ut velut congelatus in lectum deportatus fuerit & mortuus.

§. XX. Horum vero omnium cauſam deducere, facillimum erit. De ſyncope & lipothymia ſupra §. 7. dictum

ctum eſt. Scorbuticorum autem hecticorum Phthiſicorumque colliquativi ſalinis aceſcentibus particulis, ſyſtaſin & fibroſitatem ſauguinis diruentibus debentur. Hujus enim compages ſi laxata eſt, quoties novus advehitur chylus, toties non in dulcem vitalem evehitur ſtatum, ſed potius, dum acor ſimilis ipſi communicatur, γλιχρῷ nutribili privus manet & in excrementum cedit. Symptomatici febrium continuarum ſimplicium, ſeroſam in corpore abundantem colluviem, ſanguini fervidiorem motum inductum, pororumque ampliationem inſequuntur.

§. XXI. In malignis vero accedit aliquid peculiare, quod ſive *veneni*, cum veteribus, ſive exoſo quibusdam recentiſſimis ſcriptoribus *fermenti* nomine efferas, ſpiritibus & humoribus vitalibus ſe affigit, & adeo illorum motum placidum conſiſtentiamque laudabilem turbat; ut, ceu ex copia vehementiaque ſymptomatum patet, uno momento quaſi ſumma imis, ima ſummis miſceat & ſubitam atqne plenariam calidi & humidi deſtructionnem intendat.

§. XXII. Qui febres intermittentes excipiunt, viſcerum ſanguinisque labem cauſas ſocias agnoſcunt; iſta enim diuturno morbo, frequenti repetitione æſtus febrilis, aliorumque ſymptomatum debilitantur; hic vero toties in motum peregrinum raptus, toties novas turbas agente fermento febrili, novis inquinamentis conſpurcatus, acorem ſuſcipit. Cibus itaque in ventriculum ſi ingeritur, ejus atonia ſemicoctum dimittit, nec laudabilem ex eo eliquare chylum potis eſt. Crudus hic primæ coctionis humor lacteus non corrigitur in ſecunda, nec in tertia coctione: quippe eum ſanguis vappeſcens, aceſcens alio

quam

quam vitioso charactere signare nequit, nec viscera, decente robore alterandi & concoquendi destituta, ad meliorem frugem reducere valent.

§. XXIII. Qui levissima autem ex causa, quandoque ex nulla sudoribus perpetuis squalens afferunt corpus, in iis dispositio vel nativa vel acquisita accusanda venit, hæc vero ab errore aliquo diætæ, aut morbo chronico, laxissimam sanguinis & seri cohæsionem præstantibus, calorem internum augentibus, poros mire patulos reddentibus, dependere solet.

§. XXIV. Medio loco *oppressivus* considerandus venit, in asthmate & cardialgia, quæ humoribus tumultuantibus & flatibus, omne abdominis cavum expandentibus debentur, occurrens, nec non obvius in ebriis, cujus signum infallibile anxietas præcordiorum: In hac enim potius ab incumbente & irruente peregrini humoris flatuumque vi distensiva spirituum energia impeditur, eorum elasticitas opprimitur, & serum copiose totum inundans corpus, vel in laborante saltim parte, vel toto ambitu, per cutem, archeo alibi detento & captivato quasi, patulam prodit.

§. XXV. Tandem memorandus etiam venit *diffusivus*, nimium usum rerum non naturalium, v. g. motum fortiorem, moram sub sole urente, vel in hypocausto nimis calefacto longiorem excipiens, aut, si ægroti ab adstantibus multis onerentur stragulis, & a Medicis propinato medicamento efficaciori, sudoris continuatio ultra, quam vires ferre possunt, injungatur. Hinc non solum *Phys. med. Wedelianæ l. c.* a sudore justo crebrius in juventute extorto, incrementum corporis impeditum,

Amœn. l. 2. sect. 2. c. 17. ex febribus intermittentibus continuas factas esse; quartanarium purpuram incorrigibilem, alium dolorem capitis perpetuum, puellam lipothymiam frequentissimam, reportasse consignavit; sed etiam mortem ipsam ab Empirici imprudentia juveni 25. ann. lue venerea laboranti inductam, Samuel Ledel. *Eph. A. N. C. Dec. II. ann. IX. obs. 125.* notavit. A propinato enim sudorifero imperaverat sudationem per 6. horas continuandam, cum tamen vix præterlapsis duabus deliquia, prodromus metuendæ mortis, adessent. Ubi enim excedit rarefactio & motus sanguinis exsurgit rapidior, ibi ejusdem consistentia turbatur, attenuatusque humor cum fluido spirituoso, sanitatis & vitæ ipsius unicum pabulum subtrahitur.

§. XXVI. Hæc de excedente sudore. Contra ea deficit sudor, si paucus vel plane nullus ex corpore, intemperie etiamsi calida, vel alio morbo, in quo ab hoc unica salus speranda, laborante extorqueri queat: quorsum etiam temerarie in corpore ægro sanove repressum, aut non detersum referre licet. In febribus continuis, malignis imprimis, sæpe contingit, ut per totum morbi decursum parum, quandoque ne guttula quidem ulla arte exprimi queat: Quod Sydenham *S. V. c. 2. l. de feb.* sæpe observavit. In intermittentium quoque singulis paroxysmis, qui ordinarie larga hydrosi, quasi toties reiterata crisi, solvuntur, sæpe deficiunt non sine malo prognostico, quia notant sanguinis partem oleoseam, pingvem serosamque adeo esse sibi invicem incoctas, ut omnia medicamenta aditum occlusum inveniant, & natura debilis, calidumque nativum suffocatum ab one-

rosa

rosa peregrinarum particularum mole se liberare nesciat.

§. XXVII. Si aëre, aut balneo frigido, aut sordium vaporumque detersione omissa largiter effluentibus undis obex infaustus ponatur, o quam mira symptomatum seges inde enascitur: Triste jamjam impatientis juvenis, frigidissimo balneo calidum nativum extinguentis exemplum, ex Zacut. allegavimus; aliud autem Paulini *l. c. Dec. 2. ann. 5. obs. 10.* de scorbutico habet, qui à succo sempervivi, ad retroagendos sudores inuncto, universalem contracturam acceperat: alia Sim. Pauli *Quadrip. Botan. Class. 3. p. 196.* nec non Panaroll. *Cent. 3. obs. 16.* laudant. Tacemus febres, dolores, inflammationes, decubitus seri retropulsi ad varias partes & centena alia mala exinde orta. Sic vidi ipse virum, qui cum scabiem inveteratam abigendi causa sudaverat, madens autem & uvidum adhuc corpus aeri exposuerat frigido, catarrhum suffocativum cum doloribus pleuriticis spuriis sibi contrahebat, quam sequebatur febris quartana, post quatuor paroxysmos in hecticam scorbuticam lethalem versa: A sudore non deterso sputum cruentum & asthma Bened. Sylvat. *Cent. 2. obs. 37. p. 139.* notavit.

§. XXVIII. Ne vero quis miretur tantam morborum progeniem, sufficeret causam horum omnium allegasse solum motum naturæ, a centro ad circumferentiam tendentem, interturbatum: Sed accedit adhuc poros ab ambiente athmosphæra frigida condensari, sanguinemque a particulis effœtis salsis impuris uliginosis ad excretionem jamjam aptatis, denuo infici, & calidum nativum adeo opprimi, ut heterogeneitas sanguini rursus mista,

facile

facile peregrinum, fermentificum, præternaturalem motum, verbo, ſtatum febrilem inducere vel hinc inde partibus oneroſa fieri poſſit.

§. XXIX. Qualitatem dum noſtræ ſubjicimus conſiderationi, non varia ab aſſumtis enata, ſed in morbis ſaltim obvia tangemus phœnomena. Viſus ſæpe deprehendit *Lacteum* qualem Paulini *l. c. ad ann. 5.* in parente ſuo cachectico febricitante, *fœtidum* lethalem obſervavit: *Croceum* in Ictericis dari Wedel. *Phyſ. Med. S. 3. c. 27. p. 88.* & Hild. *Cent. 6. obſ. 77. Cœruleum* Joh. Dolæus *in A. N. C. Dec. 1. ann. 6. & 7. obſ. 67.* docebunt. Hic enim melancholicum vidit, qui corruebat frequentius, quaſi Epilepticus, in terram, prægreſſa vertigine, anxietate cordis, & toties, quoties hæc patiebatur, ſudore dextri hypochondrii in regione hepatis, cœruleum minerale, quod ſmaltum vocant, referente liberabatur.

§. XXX. *De viridi* videndus Borell. *C. 2. obſ. 54.* & Paulini *l. c. App. ad ann. 6. obſ. 23. Nigricantem* in peſte non infrequentem fuiſſe, Hodges de nupera peſte Londinenſi teſtatur. Zac Luſit. *l. 3. obſ. 76.* virum melancholicum eodem in regione Ilium per ſemi horam conſpicuo reſtitutum aſſerit. Langelott. *in Eph. A. N. C. D. 1. a. 6 & 7. obſ. 10.* in nobili milite Paralytico ab aſſumto ſcrupulo auri Diaphoretici tres libras ejusdem, acidum manifeſto ſpirantis, effluxiſſe & Paralyſin ſuſtuliſſe refert. Deſcribitur etiam ſudor *atramento contra nigricans* ab Ol. Borrich. *Act. H. Vol. 1. obſ. 70.* & inter ſigna reconvaleſcentiæ in ægra eum fundente numeratur. *Miniatum* Joh. Maur. Hoffm. *M. N. C Dec. 2. ann. 3. obſ. 27.* in ſtudioſo, qui florida facie, ſuccipleni habitus erat, quoties exercitia tra-

ctaret vel impensius moveretur deprehendit; quod & mihi in condiscipulo meo olim cernere contigit.

§. XXXI. *Sanguineum* denique qualem in Salvatore nostro veneratione humillima admiramur, quemque devotissimis eruditissimisque meditationibus illustravit Wedelius, *in Exercit. Med. Philol. sacr. 2. Dec. 3.* multoties variis subjectis obtigisse Autores memorant. In Plethorica menstruatim ad ilia dextra fluentem Benivenius, *de abd. rer. caus. l. 4.* & Acta *Hafn. Vol. obs. 44.* memorant, virginem instantibus mensibus maculis per totum corpus, inprimis circa pectus pictam fuisse, comite odontalgia, cephalalgia: adhibito autem sudorifero subsecutum esse sudorem *cruentum*, symptomata tollentem, donec maritatæ & ingravidatæ ipsa natura inordinatos correxerit motus. Bened. Sylvat. *controv. 5.* refert, virum succulentum singulo vere in febrim incidisse, quam *fervidus* sensim ex toto corpore, cum summo pruritu, manans cruor mitigabat. De scorbuticorum & cachecticorum sudore cruento in Wedelii *Phys. Med. l. 3. c. 26.* M. A. N. C. *Dec. 2. ann. 2. obs. 34.* & *app. ad ann. 6. obs. 47.* post usum spiritus aperitivi Penoti rubicundas arenulas subsecutas esse legimus. Post coitum nimium in Binningeri *cent. 5. obs. 30.* varias consignatas offendimus historias. Ex motu in sphæristerio sanguinem cum sudore mistum notavit Scharandæus *l. de rat. conserv. sanit. c. 9. p. 95.* Alium juvenem in carcerem detrusum, metu rerum futurarum summe anxium, loco sudoris cruorem effudisse, tam sævis cum symptomatibus, ut vitæ instaret periculum, tradit Durrius *in Eph. Dec. 2. ann. X. obs. 179.* In peste cum totius livore lethalem Zacutus Lus. *de pr. Admir. l. 3. obs. 42.* pronunciat.

§. XXXII.

§. XXXII. Ad caufarum enodationem facilitandam fundamenti loco ponam: Omnem colorem, qui in corpore apparet ex humoribus dependere, & effe a fulphure, feu particulis fanguinis noftri oleofis, pinguibus, plicatilibus, inflammabilibus, interventu falium varie immutato. Croceum itaque, cœruleum, viridem, nigricantem, a bile vitellina, porracea, æruginofa, hoc eft concurfu falium diverforum diverfe modificata derivare facile erit. Prout enim a lixiviofis, volatilibus, fixis, acidis, fanguis inficitur, & feri copia vel inopia adeft, fic etiam fulphur biliofum vel exaltatur vel deprimitur, figitur, diluitur aut concentratur. Miniatum caufatur ftatus plethorico cachecticus, dum fulphureæ fanguinis partes, calore intenfiore colliquatæ, ferofis mifcentur, tincturamque rubellam fœnerant, & junctim laxum corporis habitum penetrant.

§. XXXIII. Sanguineus denique variam, ceu ex dictis jamjam clarebit, agnofcit originem: Interdum enim plethora & ftatus fanguinis corpori mole fua onerofus, aut intermiffæ fanguinis excretiones folennes; interdum in cachecticis & fcorbuticis dyferafia fanguinis & falia refolutioni ejusdem mirum velificantia peccant: quibus accedit laxior corporis conftitutio & caloris nativi imbecillitas. In fphærifterio autem conftitutorum fanguini intenfiffimus ifte motus tantam rarefactionem, turgefcentiam, & fluxilitatem induxit, ut æftus corporis facillime per cutem ampliatam purpureum exprimere laticem potuerit. Carceri inclufus, metu tanto perculfus eft, ut præ timore fpiritus palantes difperfi, confufi, nec fanguinem coercere effluentem, nec tonum cutis

ſalvum ſervare valuerint. Reſtat, quomodo in peſte eveniat, invenire, quod erit facillimum; quis neſcit enim malignum peſtilentiæ virus aptiſſimum eſſe ad principia noſtra vitalia diſſolvenda, & ipſis plenariam corruptionem & ichoreſcentiam inducendam.

§. XXXIV. Odore præternaturalis eſt ſudor urinoſus, putridus, ſtercoreus. Urinoſus nunquam non cum ceſſante excretione urinæ, ab obſtructione renum, aut naturæ motu inverſo dependente, deprehendetur: cujus rei exempla ſupra §. 5. ex Salmutho & M. A. N. C. allegata ſunt. Fœtidus fit & teter per accidens in locis, ubi aëris perſpirabilitas impedita eſt, & ſulphur a ſalibus expanſum corruptionem ſubit. Univerſalis autem in cacochymicis non raro, in vetulis, Judæis, leproſis, maligna ſcabie & febribus laborantibus viſitur: qualis ſtercoreus lethalis plane in Miſcell. laud. *Dec. 2. app. ad ann. 7. obſ. 8.* reperiendus. Quod partim fermento peregrino, corpori illato, intimioremque deturpationem humorum vitalium inferenti tribuendum; partim pravis, vitiatis & in putrilaginem abeuntibus humoribus adſcribendum eſt; quamvis non parum in vetulis & Judæis, præter diætam, munditiesﬁ huc conferat neglecta.

§. XXXV. Acidus, auſterus, aluminoſus hypochondriacis; amarus ictericis proprii ſunt: ultimus autem a vitio in hepate, circa ſeparationem bilis reſidente, cœteri a variis humoribus in hypochondriis ſtabulantibus ſerumque inficientibus arceſſendi.

§. XXXVI. Sonorum quoque & cum ſibilo erumpentem Paulus Simonetta, in *compend. Med. de ſud.* & Rollf. *in Theat. Pract. l. 2. ſ. 3. c. 11. p. 931.* tribus vicibus levi ſuſurro,

ſurro, delabentes per gramina aquas mentientem, optimo cum eventu obſervarunt. Cui rei anſam dare poteſt copia viſcidæ materiæ, quam medicamenti vis & naturæ robur fortiter aggreditur; quæ ſi impetuoſius ad extrema propellitur, ob difficilem diſſipabilitatem, & poros trausmittendæ tantæ copiæ non ſufficientes, cum flatu & ſibilo exprimitur.

§. XXXVII. Tactus calidum vel frigidum dijudicat. Calidus in variis morborum generibus, niſi reſolutorius ſit, notat materiam ſuperabilem, calorem nativum intemeratum & ſpiritus non ſuccumbentes. Frigidus contra ea in ſyncope, colica, cardialgia, doloribus ſyncopticis, febribus ardentibus, inprimis malignis & peſte ipſa, occurrens, ut & qui ab inflammationibus & veneno ortus deprehenditur, ſi anxietate, pulſu debili, aliisque ſymptomatibus ſtipatus eſt, notat ignem vitalem extinctioni proximum, ſpiritus in extremas redactos anguſtias, materiam vero peccantem copioſam, vel alio modo ab illato fermento turbativo, deſtructivo corruptam. vid. Ben. Sylvaticus *Conſ. & Reſponſ. C. 2. obſ. cent. 4. obſ. 8.* Sylvius *Pr. med. append. tr. 2.* aliique.

§. XXXVIII. Craſſum & glutinoſum, qualem Sylv. in peſte notat, *l. c.* viſcidum & inſpiſſatum ſerum cauſatur. Arenoſum vero & tartareum in ſcorbuto Barthol. *Cent. 1. Hiſt. 34.* nec non Excell. Bohnius, Præceptor & Patronus meus ſumme colendus, *in Circ. ſuo Anat. Phyſ. p. 228.* allegarunt. Paulini in proprio patre arthritico & calculoſo, cnm euphoria circa digitos manuum pedumque eleganter apparentes cryſtallos cultro abraſit. In calculoſi per multos dies obſtructione urinæ omnimoda laboran-

tis

tis facie copiosos salinos crystallulos observavit Magnif. D. Wedel. Nec alia tartarei hujus excrementi ratio, quam salinarum, terrestrium, viscidarum limosarumque impuritatum, quæ ordine naturæ consueto per vias urinarias ejici solent, stagnatio reddi potest. Verminosum vide ap. Rhodium, *obs. 64. c. 3.* Borellum, *C. 2. obs. 72.* Bartholinum *C. 5. h. 20.* & Paulini qui prolixe eum describit. Erat nempe juvenis 12. ann. qui variolis correptus & propinata a matre theriaca cum C. B. sudavit cum tanto pruritu, ut fricari a matre anxius desideraverit: Mater id præstare parata deprehendit multos minutissimos albos vermiculos, nigra in capite puncta gerentes, egressos & egressuros. Ægrum autem syncope ex medio tollebat viventium. Mirandum hoc phœnomenum, quod in morbis, ubi putredo & ichorescentia humoribus inducta est, forsan sæpius conspicuum se daret, si adstantes curatius omnia explorarent. Hoc vero adhuc majori inquisitione dignum est, cujus speciei animalia parentes horum vermium fuerint; cum ex sola putredine eos natos esse, naturæ ordo credere prohibeat.

§. XXXIX. Loci conditio universalem vel particularem, eamque ob materiæ in toto vel in parte abundantiam, totiusque vel partis robur debilitatemque constituit: Si vero constanter unum corporis latus occupat, ibi singulari corporis dispositioni is adscribendus est.

§. XL. Nocturnus alium non comitans morbum, vel humorum in corpore copiam vel repletionem a cibo, in scorbuticis vero & hecticis salium, quæ a calore ambientis actuantur & in motum rapiuntur, vim attenuan-

nuantem insequantur. Periodicus, quando nempe singulis septimanis, sine læsione, de quo vide Sim. Schultz. vel certo anni tempore, de quo vid. thesin nostram 19. repetat. Idiosyncrasiæ & consuetudini inveteratæ, humoribus in corpore sensim se augentibus aut certo tempore turgescentibus debetur.

§. XLI. Absoluta prima Pathologiæ parte, visis nempe differentiis, recensitis, in quibus istæ se prodant morbis, singularum causis enodatis, restat *Diagnosin* & *Prognosin* quoque adjicere.

§. XLII. Cognoscere sudoris hujus vel illius præsentiam est facillimum, hoc enim sensuum fit beneficio, ast dignoscere, an sit *symptomaticus*, an *criticus*, an boni vel mali quid ominetur, hoc mihi nunc eruendum incumbit.

§. XLIII. *Criticum* accidere semiotices explicatores censent, si (1) eveniat cum signis coctionis; *sine his enim omnis criticus motus est malus.* vide Hipp. *Epid. 1.* (2) die critico erumpat, juxta ejusdem *aph. 36. l. 4. Sudores, si febricanti inciperint, boni sunt tertia die, & quinta, & septima, & nona, & undecima, & decima quarta & decima septima, & vigesima prima, & vigesima septima, & trigesima prima, & trigesima quarta. Hi enim sudores morbos judicant, qui vero non sic fiunt, dolorem significant & longitudinem morbi & recidivas.* (3) ut *rigor* aliquis præeat: quem irritatio humorum acrium a natura ad circumferentiam propulsorum excitat: vide Hipp. *aph. 58. l. 4.* (4) non sint *pauci*, sed *copiosi*, per totum corpus dispersi, tunc enim æqualem peccantium humorum per corpus distributionem & mediante archeo & ca-

lore robusto expulsionem factam designant Hipp. *Prognost.5. Boni sunt per totum corpus contingentes.* (5) *Calidi* sint, *non frigidi.* Quippe *hi* juxta effatum Hipp. *s. 4. aph. 42. Longiorem, illi breviorem morbum* significant. (6) Cum euphoria & levamine naturæ, non vehementer & viribus constantibus fiant: Moderata enim durant, nihil coactum, nihil invita & succumbente natura, nihil violentum hic admittendum, & Hipp. *1. Aph. s. 8. vehementes ac veloces periculosos* pronunciat. (7) Non ultra tempus protrahantur: quia inde vires debilitantur & resolutorii metuendi, constantes tamen sint, quantum morbi conditio & excernendorum ratio requirit.

§. XLIV. Symptomaticus e contrario erit, *qui non die critico, sine signis coctionis, paucus, in hac vel illa saltim parte, frigidus, cum virium languore, nimis diuturnus, vel citius remittens est.*

§. XLV. Non tamen promiscue edicendum, nisi omnia hæc requisita appareant, bono cum eventu ægrum posse sudare, quippe natura medicamentis accommodis sudoriferis roborata, sæpe prima in herba morbum jugulat, ut sæpe nullus rigor antecedat, nec æque die critico semper eveniat, non uno die terminetur, sed per aliquot dies sine molestia non raro continuet, imo nec signa coctionis perpetuo appareant. Tandem sudores non febribus solis acutis, sed intermittentibus quoque proprii sunt, quarum singuli non tantum paroxysmi iisdem solvuntur, sed & ipse morbus sæpe his curatur. Sennert. enim, *l. 2. c. 8.* dicit: *vix febris aliqua integre sine sudore finitur.* Chronici quoque morbi vel spontaneo vel medicamentis provocato frequentissime abiguntur.

§. XLVI.

§. XLVI. Quis nescit, vix feliciter luem veneream, scorbutum, hydropem, scabiem, catarrhos edomari, in apoplexia & paralysi viscidum pituitosum, cerebrum nervosque obsidens, dissolvi & discuti posse sine sudore. Arthritidem levari sudoriferis, inprimis in fine adhibitis, nihil est vulgatius. Novi virum podagra & chiragra affectum, qui ex superveniente sudore abitum mali nunquam non prædicere solet. Cum vero aliquando vel impatiens sudorum, vel debilitatem virium aliquam exinde persentiscens, medicamentorum anthydroticorum ope cursum eorum inhiberet, exinde anxietatem aliaque symptomata eveniebant, non prius cessantia, quam podagra de novo affligeret: En, crisin si renuis dicere, conatus & motus naturæ salutares turbatos.

§. XLVII. Nunc, quid singuli prædicant, subjungemus. Frigidus copiosus seu paucus, seu totius vel partium saltim, nihil boni ominatur. Ipse Hipp. *s. 4. aph. 37.* dicit: *Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiore morbi longitudinem significant. l. 4. s. 8. lib. de Prænot: Pessimi sunt frigidi & tantum circa caput & faciem oborientes & circa cervicem: Hi enim cum acuta febre mortem, cum mitiore morbi longitudinem præsignificant: Et qui per totum corpus fiunt, similiter significant his, qui circa caput.* Calidus etiam universalis copiosior, copiam materiæ peccantis, & ob hanc longitudinem morborum indicat. Particularis, nempe in facie, circa frontem, caput, thoracẽ, apparens malus, *ubi enim in corpore sudor, ibi morbum esse significat.* Hipp. *aph. 38. s. 4.* In principio morbi spontanei, quo tempore cruda adhuc omnia, mali & itidem longos prædicunt morbos: De spontaneis multis sano-

rum edicit Hipp. *l. de judicat. ſ. 8. Sudor multus, intemperate oboriens, ſano morbum ſignificat, æſtate minorem, hyeme majorem.* Qui cœpit fluere, ſtatim deſinit, malus; conſtans enim excretio & ſufficiens debet eſſe, & quæ morbo ſolvendo apta ſit.

§. XLVIII. Miliiformis, ſyncopi aut aliis exolutionibus familiaris, peſſimus. Confer. Hipp. in *Prænot. lib. ſ. 5. Miliiformes & ſolum circa collum contingentes mali.* Inter ſudandum horror vel rigor ſæpius recurrens malum, quia novos conatus naturæ toties irritatæ notat. De quo Hipp. *in Coac. aph. 12. Qui ſæpius inhorreſcunt, capite dolent, & ſubinde ſudant, maligne habent.* & *aph. 13. Qui ſæpius inhorreſcunt, multum ſudant, ægre ſaneſcunt: Sect. 7. aph. 4. a ſudore horror non bonum.* De nocturnis Hipp. *l. 4. aph, 41.* ait: *Sudor multus ex ſomno citra manifeſtam cauſam oboriens corpus multo alimento uti ſignificat, quod evacuatione opus habet.* Fœtidi in acutis peſſimi, fere ſemper lethales. Craſſi, tartarei, arenoſi, obſtructiones viſcerum, hypochondriacæ affectionis, calculi, arthritidis notant præſentiam vel diſpoſitionem in corpore. Sonori excernendum copioſum, facultatis tamen robur agnoſcunt, ideoque bonum ut plurimum ſortiuntur eventum.

§. XLIX. Colophonem diſſertationi huic imponet curatio brevis & ſuccincta, quæ excedentes cohibere, deficientes excitare, pravos corrigere jubet, nunquam non morbos, in quibus occurrunt, uno oculo reſpiciendo.

§. L. Maximum momentum ſitum eſt in tradenda immodici curatione prolixiori, in ſingulis enim deinde, quid monendum ſit, ſubjungere eſt facillimum. Nititur

autem

autem ea quatuor indicationibus ſequentibus: 1. Motus velocior ſanguinis, indeque totius exurgens calor moderandus, infringendus. 2. Lympha halituoſa, attenuata, rarefacta eſt concentranda, condenſanda. 3. Si copia ſerum peccat, iſtud per vias urinarias aut alvum deturbandum, motum ejusdem hac ratione ſimul invertendo. 4. Pori corporis ampliati conſtringendi.

§. LI. Primæ indicationi ſatisfacere ſi velimus, removenda ea, quæ ſanguinem commovent caloremque augent. Si enim ſtragulis religioſe ſeſe obtegunt ægri, eadem removenda ſenſim ſenſimque, & leviter ſaltim ab aëre defendendi frigido. Si ambiens aër vel ſolis vel ignis auxilio calefactus nimis, frigidior per feneſtras portasque apertas caute admittendus, aqua frigida in hypocauſto ſparſim effundatur, & plantæ virides ſucculentæ per pavimenta diſpergantur, ad athmoſphæram alterandam. Si motus in culpa, quies imperanda. Si affectus immoderati animum accendunt, pacatior iſte reddendus. Hæc ſi præſtiterimus, ad ea, quæ interne aut externe, ex fonte chirurgico & pharmaceutico applicata, juvamen promittunt, progrediendum.

§. LII. Ex chirurgico vix unquam ullum remedii genus depromere nobis licebit, niſi V. Sem. in corpore plethorico & ejusmodi evacuationibus adſueto. Fonticulum quoque inurere parti, & eo per totum ambitum divagantes humores excrementitios invitare, nonnunquam in diuturnis ſudoribus non erit incongruum; inprimis, ſi vitioſi in corpore humores abundant; in tali enim ſubjecto, ubi fœtidus ſimul fuit, Zacutus Luſit. *Pr.*

Med. Adm. obſ. 74. hoc ſolo, & repetitis purgantibus cum optimo ſucceſſu uſus eſt.

§. LIII Pharmaceuticus nobis ex triplici Regno ſimplicia & compoſita ſuppeditat varia, ex quibus potiora recenſere placet. Ex ſimplicibus primo loco nominabo aquam dulcem & ſerum lactis; communiſſima quidem remedia, utraque tamen, illud pro externo, hoc interno uſu laudatiſſima. Poſt hæc ſeligam ex vegetabilibus radices acetoſæ, cichorii, endiviæ, lactucæ, plantaginis. Herb. atripl. parietar. ſpinach. violar. acetoſ. acetoſell. endiv. fragar. lactuc. nymph. plantag. portulac. & ex his deſtillatas aquas. Flores roſ. violar. cichor. nymph. balauſtior. pap. rhœad. Semina acetoſ. cichor. 4. frig. maj. & min. plantag. portul. papav. rhœad. mala cydon. poma citri, granat. tamarindos, berber. mora, ribes, acac. rub. id. gummi tragac. arabic. tria ligna ſantal. Ex animalibus oc. cancr. matr. perlar. perlas, raſ. C.C. & eboris. Ex mineralibus terrea, v. g. terram ſigillat. lemniam, bol. arm. corall. lac lunæ, lap. pretioſ.

§. LIV. Ex compoſitis & præparatis laudanda veniunt aquæ ſupra jam dictæ deſtillatæ; Sirubi quorundam ſuccorum ex expreſſis herbis & fructuum recenſitorum, nec non rob. diamor. Juleb roſatum. Tinct. violar. roſar. bellid. pap. rhœad. acidulatæ. Aceta denique roſat. tunic. rutac. lil. convall. viol. rub. id. Spec. diatragac. diamarg. frig. diatr. ſantal. Pulv. Haly. gelat. C. C. ſimpl. & compoſ. lap. prunell. nitrum antimon. antih. Poter. tinctura anthiphthiſ. Eſſ. vitrioli ſaturnin. Arc. tartar. Clyſſ. ſulphuratus.

§. LV. Hæc vero varias in formas aptata, diverſis parti-

tibus diverſo modo applicanda. Externe aqua ſimplici uti poſſumus ad conſpergendam, faciem & pro re nata reliquas partes quoque; cui non incongrue admiſcemus aquas deſtillatas & aceta pro cujusvis lubitu ſeligenda. Naribus admovendum etiam acetum, tum ſimplex tum compoſitum. Scrobiculo cordis, temporibus, carpis manuum epithemata ex aquis deſtillatis, acetis, Spec. cord. temper. Diamarg. frigid. Diatrag. frig. Diatr. ſantal. Conf. liberant. vel pulpam citri adſperſis dictis ſpeciebus applicare maxime erit proficuum.

§. LVI. Serum lactis, decoctum hordei cum ſuccis, ſirupis, tincturis laudatis acidulatum in potum cedere poteſt; herbæ, radices, folia cibos medicamentoſos ſuggerunt. Ex ſeminibus cum aquis appropriatis emulſiones, additis pulveribus & aliis; ex aquis, ſuccis, ſirubis, tincturis juleb fieri poſſunt. Terrea & in pulverem abeuntia in pulveris, aut in trochiſcorum formam, mediante gummi arab. tragac. redacta, in uſum trahuntur. Gelatinæ ſibi relictæ, vel cum aquis deſtillatis, aut decocto hordei dilutæ, ſorbillantur. Tincturæ florum diffuſiores cochleatim, concentratæ guttatim propinantur.

§. LVII. Secundæ indicationi reſpondent pleraque, quæ adſtringentium nomine nota. Rad. biſtort. tormentill. plantag. & eorum extracta, hypociſtis, ſucc. acaciæ bacc. myrtill. exicc. corn. exicc. herbæ polygon. millefol. ſanic. pyrol. virg. aur. flor. balauſt. uſnea cran. hum. lichen, terrea theſi priori enumerata, quibus accenſemus unic. foſſ. terr. Jap. os ſep. maſtich. lap. hæmat. ſuccin. Ex compoſitis ſeligenda tinct. anthiphthiſ., quæ omnibus palmam præripit, corall. martis adſtringens, ſulphuris vi-

triol.

triol. Eff. terræ Iapon. anod. traumat. Wed. pulvis ſtypticus, Croll. Wed. crocus martis adſtringens, tragea gran. actes, laudanum opiatum, ſacharum ſaturni, ſirubus corall. myrthin. Ex his autem commode fiunt pulveres, miſturæ, potiones & cum extract. pilulæ formari queunt, reliqua vero vegetabilia rad. herbæ & flores in decoctum ſi redigantur, iis non æque abutendum, ſed parca doſi utendum, ne plus præbio noceamus torpidiore, quam virtute in eo nimis diluta proficiamus.

§. LVIII. Tertiam indicationem implent purgantia & diuretica. Ex purgantibus ſaltim gialappam, ſcammonium, rhab. & ex lenientibus tamarindos laudabimus. Ex diureticis lap. cancr. ſalia fixa, geniſtæ, ononidis, juniperi, tartarum tartariſatum, arcanum tartari, terr. fol. tartar. arcan. duplicat. tart. vitriolat. tinct. tartari ſ. & compoſ. nominaſſe ſufficiat.

§. LIX. Quartam indicationem implent, ea, quæ lentore, viſciditate unctuoſitate ſua poros oblinunt, infarciunt, & quodammodo ſeri exitum moderantur: qualia ſunt olea myrthin. roſac. maſtichin. omphacin. myrtill. ungvent. comitiſſ. infrigid. Gal. exempli loco ex Riverio laudabimus, quod *Prax. Med. l. 17. c. 3.* deſcribit:

℞. *ol. roſac.*
omph. a. ℥j.
Sem. myrtill.
Cydon.
mucil. pſyll. a. ʒij.
Gumm. arabic. aqu. roſ. ſol. ʒij
Cer. alb. q. ſ. F. Linim.

Aliud operoſius Zacut. Luſ. *Prax. Hiſt. lib. ultimo p. 624.* commendat. Caute tamen mercandum, & in his non

præ-

prævaricandum, nisi internorum usus præcesserit, vel saltim jungatur. Sola aqua simpl. vel aceto mixta quoque lintea madefieri possunt, ut actuali sua frigiditate spiracula cutis contrahat & fibras in arctius cogat: Nec non pulveres in lecto dispergendi robur fibrarum laxatum restaurantes conveniunt, qualem ex Riv. exempli loco adjicere lubet.

℞. *Flor. nymph.*
rof. r. a. ℥iij.
ladan. ℥ß.
styrac. ℥ij.
myrtill.
gran. sumach. a. ℥ij. M. F. P.

§. LX. Hæc sufficiant generatim indicasse, speciatim autem in phthisi ulcus pulmonum sanandum, in hectica dyscrasia sanguinis corrigenda, febri lentæ obsistendum, in scorbuto salia peccantia invertenda, in lipothymia spiritus laborantes juvandi, restituendi, ubi venena sanguinis crasin corruperunt, ibi bezoardica in auxilium vocanda. In febribus continuis simplicibus maxime ad colluviei, in corpore abundantis, per alvum aut urinam exterminationem oculus dirigendus, & calor infringendus. In intermittentibus viscerum primæ coctioni destinatorum tonus restituendus, sanguinis proportionata cohæsio integra reddenda. Malignus autem Anglicus plane aliam medendi requirit methodum. Hic enim veneno pestilenti resistendum, spirituum intentata resolutio cordialibus, roborantibus impedienda, sudor naturæ ductu moderandus. Ægri itaque simul ac a morbo infestabantur in lectum se conjiciebant, stragulis, modice tamen,

corpus tegebant, quantum vires nempe permittebant & cujusque ad ſudandum prona vel abnuens diſpoſitio jubebat, quietem omni ſtudio ſectabantur, ſomnum declinabant, tantum, quantum ad ſitim extinguendam fauces urentes expoſcebant, medicati potus aſſumebant, a cibis autem, ſi fieri poterat, abſtinebant, omnem auram frigidam, utpote maxime nocivam evitabant, tandem ſenſim ſenſimque poſt 24. horas, integumenta levabant, & ſudorem abſtergebant. Medicamenta, quæ recenſet Sennertus, ſunt pleraque alexipharmaca, temperata, & ſanguinis fibroſam texturam ſartam tectamque ſervantia, ulteriorem reſolutionem impedientia: v. g. aqua ſcabioſ. acetoſ. bol. arm. terra ſigillat. corall. margarit. rad. torment. mal. citr. granata, & inde parata.

§. LXI. Ubi inveteratum eſt malum, ibi ſenſim revocandi a circumferentia ad centrum humores, & in ordinem iterum aliis ſupa laudatis, ſine ulla tamen violentia cogendi.

§. LXII. In diffuſivo reſtituendum ſerum, bilis accenſa, ſanguis exæſtuans, aqueis, diluentibus refrenanda; vires reficiendi, roborantibus, ſpirituoſis; diſſipati ſpiritus acidorum odore uniendi.

§. LXIII. Ubi difficulter ſudor exit, ibi fortiſſima, penetrantiſſima ſudorifera cum bezoardicis ſelectis volatilibus propinanda, ægri per multas horas in lecto continendi, ſi vires reſpondeant, ſin minus, eodem die aliquoties eadem repetere convenit. Nonnunquam ſi acidum ſanguinem coagulat, terrea & abſorbentia admiſcenda; lenientia interdum ad alvum ſubducendum præmittenda, vel V.S. quoque in uſum vocanda, de quibus omnibus elegantiſſi-

gantissime Schelhammerus, Archiater & Prof. Kilon. primar. Patronus & Præceptor meus ad cineres devenerandus, *in tr. de gen. febr. cur. ratione, parte 3. f. 4. §. 27. 30. & seqq.* egit.

§. LXIV. Externis auxiliis si promovere eum velis, plantis pedum vasa stannea, aqua calida plena, sacculi cum furfuribus calefactis pedibus, femoribus, axillis, manibus, supponi possunt. Alii suadent vesicas axillis & femoribus subdendas sudorifero decocto turgidas. An hæc autem, præter calorem actualem, aliquid conferant, dubito. Si, quod Rolf. *in O. & M. Comm. Spec. l. 6. f. 1. c. 12.* aliquando factum esse annotavit, adstantes cattum, quem ægrum admodum abhorrere sciunt, sub lecto ejus abscondebunt, tunc forte eo ipso præ anxietate quidem miserum probe sudare facient, & forsan non sine lipophymia. Sed ego potius notandum ejusmodi stratagema, quam temere adhibendum censeo.

§. LXV. Ubi repressus est naturæ conatus, idem iterum sublevandus robustissimis diaphoreticis, & partes ab incumbente onere seroso quo citius, eo melius liberandæ, ne inpingatur materia irruens, sed, dum adhuc in motu est, evehatur.

§. LXVI. Si colore immutetur sudor, serum cacochymicum, bilis separatio neglecta vel impedita, ejusdemque deturpatio attendenda, hypochondriorum ratio habenda.

§. LXVII. Fœtor corrigitur internis balsamicis, putredinem humorum subigentibus, v. g. Ess. ligni al. tinct. mart. temper. antim. s. & oleos. myrrh nec non purgantibus. Externe abstergentia & roborantia laudantur, v. g.

lign.

lign. al. cort. aurant. mac. myrtill. cinam. caryoph. major. salv. rosmar. quæ in aqua ros. vel alia decoqui possunt, pro abluendo corpore. Pulveres ex mosch. ambr. rad. cyper. lign. al. amom. caryoph. cuti cum succossu inspergendi. Zac. Lus. *l. c.* frustra adhibitis variis, fonticulum cruri inustum invenit probatissimum.

§. LXVIII. Si gustum efficiat amarus, bilis obtundenda, eccentrica eliminanda; si aluminosus, acidus, austerus, humores peccantes absorbentibus edomandi, aqueis diluendi.

§. LXIX. Iu viscido incidentia, attenuantia; in tartareo antitartarea, resolventia, antiscorbutica, antihypochondriaca succurrent.

§. LXX. In sudoribus nocturnis aut copia humorum ant intemperies attendenda, quod evacuantia & refrigerantia præstant.

§. LXXI. Periodicos, si non lædunt, non turbare satius credo, quam inutilem operam impendendo nocere.

§. LXXII. Diætam ultimo tangimus loco. Nimis sudantibus aer calidior vitandus; vitentur quoque cibi calidi, saliti, & pro re nata refrigerantes v. g. cum acetosa endiv. decocti seligantur; potus sit temperatior, non nimis calidus, spirituosus; motus non excedat, nec quies cumulandis humoribus ansam præbeat; excrementa reliqua non deficiant; aninimi pathemata omni studio coerceantur; somnus nec serum copiosum generet, nec vigiliæ nimiæ nimis eum in motum rapiant.

(o)

DECANI FACVLTATIS MEDICÆ

JO. HADRIANI SLE-VOGTII, D.

ANAT. CHIR. ET BOTAN. P. P.

MED. DVC. PROVINC.

PROLVSIO INAVGVRALIS

De

publicis utriusque Americæ sudatoriis.

JENÆ

Literis WERTHERIANIS.

Um clariſſimus Medicinæ Candidatus JO. GEORGIUS PILLINGIUS, per totam ſuam diſſertationem inauguralem in evolutione naturæ *SUDORIS* occupatur, ejusque fontes, cauſas & multiplices differentias, una cum remediis, juſto largius vel parcius ſudantibus proficuis, exponit, non ſolum egregium τεκμήριον eruditionis, haud ſine ſudore laudabili & multo labore partæ, Patronis ſuis exhibet, ſimulque quo jure ſummos in arte noſtra honores ambiat, oſtendit, ſed etiam latiſſime patentes hujus materiæ utilitates omnibus ac ſingulis Medicinæ operam ſuam navantibus ita commendat, ut quartam, imo tertiam morborum partem ſudoriferis curari, veriſſime dictum eſſe probet, mihiq; ipſi, vitæ ejus ſtudiorumque hiſtoriam meditanti, paulisper argumento huic immorandi anſam præbeat.

Inprimis autem animus eſt, juxta duo inſignia iſta & *publica ſudatoria*, quæ utraque America, borealis ſcil. & auſtralis alit, in præſentia conſiſtere, & quomodo iſtud *calore humido*, hoc vero *ſicco* homines ſudare faciat, brevi, & intra limites *Proluſionis* coarctata oratione explicare.

Prius exhibet *Jamaica*, celebris Anglorum imperio ſubjecto inſula, de qua, ſi recte aſſequor *Actor. Anglicor. p. 403.* vir quidam Curioſus ita loquitur: *Cum recenter eo appuliſſemus, continue exſudabamus ingentes ſudoris guttas, in tres anni quadrantes, deinde ſudor iſte deſiit. Medio illo tempore non potui ſentire me vel ſicciorem vel obſtructiorem, vel minus urinæ mingentem, quam in Anglia. Nec ſudor nos debilitat.* Ex quibus apparet, rectiſſime huic inſulæ *Balnei humidi* vel *vaporoſi* nomen tribui,

cum

cum a vaporibus aquosis, blandis, tepidisque, affatim per inspirationem in pectus atq; ventriculum admissis, diuturnitatem guttarum sudoris dependere exinde colligi possit, quod cum ubivis locorum fauces post sudorem, ob humidi imminutionem, siticulosæ reddantur, in *Jamaica* homines sudantes nec a siccitatis effectu afficiuntur, nec, sicubi aliquem præter morem sitire contingit, aqua aut vino, sed spiritu potius vini sitim levat, reliqua vero *animantia omnia*, (sunt verba Actorum) *parum vel nihil ibi bibunt, & porci, imo equi nunquam bibunt, neque vaccæ in quibusdam locis spatio semestri; capræ forsan semel singulis septimanis, psittaci nunquam, nec zibethi, nisi semel singulis mensibus.* Nimirum humidum aeris copiosum in hisce vices potus subit; in hominibus vero idem vapor tepidus, qui poros cutis, tanquam in Laconico balneo laxat, lymphæque exitum facilitat, rursus quicquid humiditatis in peripheria corporis absumitur, per supra memoratas vias continuo & liberali manu restituit.

Alterum *Sudatorium publicum* sistit America australis, de quo sequentia ab Athan. Kirchero, *Mund. subterr. lib. 7. c. 12 p. 84.* ex ore Patr. d' Ovale consignata legimus: *Quicunque ex regno Chilensi in Paraquaviam commeant, illis primo incredibilis altitudinis montes, quos Andes sive Cordiliera vocant, superandi sunt, 40. leucarum itinere, in quorum vertice tanta dicitur esse aeris subtilitas, ut sine periculo interclusionis spiritus vix consistere queant. Unde omnes spongiis, aqua frigida, ad aerem condensandum, imbibitis instructos esse oportet. Et aer ita ad inflammationem dispositus est, ut viatores flammas eructare videantur, & cum immenso sudoris effluvio inflammati totique ignei cernantur.*

 Lice

Licebit hosce montes *Balneum* vocare *siccum*, & aerem, hic loci sudorem immensum expellentem, e diametro Jamaico contrarium statuere; ita tamen, ut tanti discriminis ratio non ex sola consistentiæ diversitate, aut aeris *ficta quadam* nostrisque humoribus minus apta *subtilitate*, (quam summa montium altitudo, ceu a crassioris athmosphæræ commercio libera, Kirchero probabilem reddidit) sed ex utriusque potius soli habitu & naturali constitutione æstimetur. Quamvis enim a doctissimis viris necessitas proportionis inter fluidum corpus nostrum ambiens, & quod ipsi intrinsecum est, sufficienter demonstrata sit, & quam cito flammula vitalis extinguatur, si aere crassiore per antliam pneumaticam extracto, tenuior saltem aura animali relicta fuerit; neutiquam tamen ejusmodi experimenta cum Chilensium montium phænomenis comparari debent. Nam concidunt tantum animalia vitro inclusa, & intumescunt admodum; quia post sublatum aeris externi & interni æquilibrium, hic justo liberius elasticam suam virtutem exercet, ut, nisi ab admisso spissiori externo iterum reprimatur, illa tandem vivere desinant. In Andibus autem longe acerbiora fata experiuntur transeuntes; quatenus alii cum P. d'Ovale supra mememoratum suffocationis metum, æstum igneum, immensumque sudorem; alii cum J. Acosta hæmorrhagias narium, vomitus simplices & cruentos, choleras & similia mala sustinere coguntur. Quæ gravissima symptomata a subtilitate aeris & privativa causa provenire, tantum abest ut credamus, ut acerrimas potius particulas, salino sulphureas, antimoniales, mercuriales, arsenicalesque miseros discruciare credamus; quatenus faucium fibrillas nerveas spasmodice crispando, vias spiritales occludunt, humoribus vero primisque viis communicatæ, illos elatere suo vitioso & acredine

dine

dine turbant, fundunt & exagitant, has vero ad violentos motus irritant.

Quod si enim subtiliori aeri tanta vis esset in nostra corpora, non video cur nemo hactenus in aliis editissimis locis, cum ipsis Andibus de altitudine contendentibus, regionemque nubium atque ventorum longe superantibus eadem aut similia incommoda sentire potuerit; qualia contra ea illos premunt, qui tempore æstivo nonnullos Thraciæ montes, Americanis multum depressiores, conscendunt, aut metalliferas quasdam cryptas subeunt, aut famosas Italiæ speluncas, a canibus & sudore denominatas, illamqne sulphureo acido odore nares compungentem Svvalbacensem, a Pechlino *lib. 3. obs. 44. p. 535.* descriptam intrant; in quibus omnibus crassitie potius quam tenuitate athmosphæram peccare, certissimum est.

Arguit autem ipsa naturalis montium Chilensium conditio largissimum dictarum particularum effluvium; sunt enim metallorum feracissimi, &, verbis Kircheri, *p. 77. inter reliqua naturæ prodigia omnem admirationem superat, quod iisdem in montibus, tanta aquarum mole fœtis, natura insuper quatuordecim Vulcanios montes, qui omnes flammarum eructatione igneorumque torrentium profluvio non semel regnum Chile in ultimam vastitatem redegerunt, exotico quodam & quasi insociabili conjugio junxerit.*

Hinc omnino viatores fungis, aqua plenis, os naresque ab aeris impurissimi illapsu defendere coguntur, ut particulæ activæ dilutæ & attemperatæ mitius agant. Sicut tempore æstivo aërem, nimium a sole excalefactum per aquam in conclavi dispersam, aut leni igne in vaporem & ventulum resolutam, tolerabiliorem reddere solemus: videturque vero plane simile, si in Olympi Macedoniæ fastigio versantes itidem fungorum humido opus habent,

 non

non *aëris defectum*, quem Augustino *lib. 1. cap. 15. & lib. 14. c. 4.* de Genes. ex aliorum relatione accusare placet, sed minerales potius exhalationes istud efflagitare.

Tantum in præsentia de *Sudatoriis Americæ*; a quibus ad natales & studia clarissimi Candidati nostri progredimur. Patria est Altenburgum, urbs Misniæ præcipua, nobilissima SERENISSIMORUM SAXONIÆ DUCUM sedes, Gymnasiique florentissimi benigna nutrix; ubi natus est A. O. R. M DC LXXII, d. 24. Jun. Patre viro nobiliss. & experientiss. MATTHIA ZACHARIA PILLINGIO, Archiatro Zizensi, nec non patriæ civitatis & provinciali Medico ordinario celeberrimo, & matre ANNA ELISABETHA KEYSERIA, matrona virtutibus & pietate ornatissima; quorum, dum viverent, summa cura fuit, ut privatorum Præceptorum ope pietatis studiorumque præceptis filium imbuerent, donec publici Gymnasii Præceptoribus eundem concredere possent. Inter quos inprimis singularem amorem atque fidelitatem perreverendi viri TOBIÆ HEINECCII, t. t. Scholæ Subconrectoris, nunc Pastoris Cribizensis laudat. Post obitum Parentis præmaturum JOHANNEM WAHLIUM, Rectorem Gymnasii meritissimum, Hospitem & Præceptorem nactus est, cujus paternam curam & fidelissimam ad studia manuductionem etiam post ejus fata mente recolit, nunquam tamen ex merito se prædicare posse fatetur. Hoc e vivis sublato M. JOANNI MULLERO, t.t. Rectori clarissimo, nunc ArchiDiacono Altenburgensi multum reverendo commendatus est, qui adeo facili methodo animum juvenilem Academicis studiis aptavit, ut ipsi tempestive ann. M DC XC. d. 7. Jun. Jenam se conferre, & apud t. t. Rectorem magnificum, JO. PHILIPPUM SLEVOGTIUM, JCtum & Professorem excellentissimum,

Fra-

Fratrem meum cariſſimum, nomen ſuum profiteri liceret. Ubi Philoſophicis diſciplinis juſtum tempus conſecraturus celeberrimorum virorum ſcholas, & quidem geneantropologicas POSNERIANAS, metaphyſicas atque logicas SCHMIDIANAS, phyſicas vero & mathematicas HAMBERGERIANAS cum fructu & laudabili ſedulitate frequentavit.

In arte Medica publicam ſingulorum equidem Profeſſorum doctrinam variam ſectatus eſt, privatim vero præ reliquis magnif. & excell. D. WEDELII, Hæreditarii in Schwartze/ Com. Pal. Cæſ. Theor. P. P. Conſiliar. & Archiatri Saxon. undiquaque celeberrimi acroaſes cordi habuit. Hinc ſe non ſine optato ſtudiorum ſuorum ſucceſſu Collegio Inſtitutionali, de materia medica & facultatibus medicamentorum, Chymico, de præſcribendis formulis, pathologico item therapeutico, & de mulierum morbis interfuiſſe profitetur. Proxime quoque magnif. & excell. D. GUNTHERO CHRISTOPH. SCHELHAMMERO, t. t. Profeſſ. Kilon. primario & Archiatro Gottorpenſi ſpectatiſſimo, anatomen brutorum aliquoties privatim & ſepties publice in cadaveribus humanis artificioſiſſime adminiſtranti adſtitit, ingentemque ex præceptis ejus phyſiologicis & pathologicis, medendique legibus, nec non chirurgicis atque botanicis demonſtrationibus utilitatem ſe hauſiſſe grata mente deprædicat. Nec reticendum cenſet, quod ſub ejusdem præſidio, eruditi de Febribus tractatus part. 3. ſectionem primam, DE METHODO MEDENDI IN GENERE ET FEBRES SIMPLICES SANANDI RATIONE in cathedra defendendam ſuſceperit.

Præterito anno, Academicos continuaturus labores, Lipſiam petiit, ibique per dimidium anni ſpatium commoratus, non tantum ex magnif. & excell. D. BOHNII

accu-

accuratissimis publicis de universalibus corporis morbis curandis, & privatis de formulis conscribendis lectionibus, sed etiam ex nobiliss. atque excell. D. PETERMANNI demonstrationibus publicis osteologicis doctissimis, & solertissima cadaveris fœminini dissectione insigne studiis suis practicis & physiologicis incrementum accesisse affirmat.

Neque fallit optimum Candidatum opinio; postquam enim præterito autumno Jenam repetens, me altera vice anatomiam publicam celebrantem vidit, & merita exantlatorum laborum præmia reportare gestiens, ante hos quatuor menses a Facultate nostra receptionem in numerum Candidatorum Medicinæ decenter petiit, in duobus primis examinibus adeo bene stetit, ut ad reliqua plenissimus aditus ipsi panderetur. Disputabit cras, Deo volente, de SVDORIBUS, cujus actus solennitatem ut magnificus Academiæ Rector ejusdemque Proceres venerandi, Hospites item omnium ordinum honoratissimi, cum lectissima Studiosorum concione præsentia sua augustiorem reddere velint, officiose & amanter peto.

P. P. A. M DC IIIC. d. 30. Maji.

Sub sigillo Facultatis.

